

præterea nec amplius FELICES imo IVLIAS FELICES inveni.  
 Una est apud Grut. p. 1093. 8. ubi legitur quidam ÆDILIS  
 COLONIA IVLIA FELICI CLASSICA SVESSA. Altera apud  
 Fabreri, pag. 106. n. 251. ubi est COL. IVL. FELICI LVCO-  
 FERONENSIS: Tertia ibidem n. 252. ubi legitur COLONIAE IVL.  
 FELIC. PISAVR. Quas etiam conjicio a Sylla Felice primum,  
 tum ab Julio fuisse deductas, atque idcirco IVLIAS FELICES  
 audivisse. Scio Dionem lib. LIX. queri sua ætate Colonias suo  
 sibi arbitrio nominum catalogos contexere, quum antea nonnisi ex  
 auctoritate Senatus id liceret. Sed de sua id ætate exposulat.  
 Quid his commune cum Nolâ, atque Capuâ, quas certo scimus  
 ab Sulla olim deductas? atque idcirco Felices tum has potissimum  
 duas, tum quatuor alias Beneventum, Sueffam, Lucum Feronia,  
 ac Pisaurum appellatas non absurde conjectavimus. Nam & hoc  
 quoque Sulla felicitati possumus adscribere, quod hæc per illum in-  
 stituta Colonia in eo sibi nomine tanto opere placerent. Huc  
 usque Vir clarissimus, cujus ita mihi arridet de Sullana dedu-  
 ctione opinio, ut ab eâ ne latum quidem unguem discedere  
 mihi fas esse censeam. Et licet in tanta antiquitate nullum  
 possim ex vetustis Scriptoribus laudatæ sententiæ testem afferre,  
 non desunt tamen argumenta, quibus ita rem habuisse manife-  
 stum fiat. Ac primo quidem, quum constat ex Appiano lib.  
 I. Civil. L. Sullam, quum partem sibi armis potestatem, armis  
 pariter servandam duceret, milites, quorum operâ ad tantam  
 potentiam pervenerat, colonos varias in urbes deduxisse, ut  
 opportunis locis dispositi in ipsius potestate continerent Italiam,  
 verosimile maxime est inter eas Pisaurum quoque fuisse; nul-  
 lum siquidem opportuniorem locum, sive ad belli administra-  
 tionem, sive ad annonæ transportationem, & Urbis ipsius situs  
 svadet, & Veteres ipsi docuerunt. Quum enim Catilina adjun-  
 gere sibi Italiam bello statuisset, M. Aulianum Pisaurum  
 misit, ut Cicero in Oratione pro Sextio testatur, qui cives ad  
 suppetias illi ferendas adhortaretur. Cæsar ipse, quum Urbe  
 Româ domicilio Imperii & gloriæ potiri armis moliretur, ni-  
 hil sibi prius faciendum duxit, quam ut Ariminum, Pi-  
 saurum, Fanum, Anconam occuparet, ut ipse lib. I. Civil.  
 scribit; Quod quum fecisset Cæsar, veluti desperatis rebus sa-  
 pientissimi Viri Romam reliquerunt. Cicer. Fam. lib. XVI. Ep.  
 11. Itaque quum Cæsar amentiam quadam raperetur, & oblitus  
 nominis atque honorum suorum Ariminum, Pisaurum, Anconam,  
 Arretium occupasset, Urbem reliquimus, quam sapienter, aut quam  
 for-